

נביא מקרבך מאחריך כמני יקים לך יחווה. elém Deut. XVIII. 15. *Prophetã è mediõ tuo è fratribus tuis sicut ego sum, susci-*
tabit tibi Jehovah DEus. Sic & Ezech. XXXIV. 23. Promittit
 DEus Messiam verum & unicum Pastorem longo tempore post
 excitandum: *Excitabo eis Pastorem unicũ, qui pascat, Servum*
meũ Davidem, ipse pascet & ipse erit Pastor. At vero hoc loco
 plus quam firma est Davidicæ mortis significatio: ex congru-
 entia solius materiæ ea non infertur, sed ex ipsa forma verbo-
 rum, quandoquidem אחרריך post te, idem est, quod post mor-
 tem tuam. Ita phrasıs אחריו Post ipsum I. Reg. I. 20. statim
 exponitur de morte in subsequente v. 21. Quotiescunque
 vero cubatio cum Patribus suis habet adjunctam phrasin post
 me, post te, post illum, toties significatur per hoc אחר status
 post mortem, & quod post aliquem indicatur futurum esse, id
 mortuo illo futurum esse indicatur. Hoc autem nostro
 loco post Davidis impletos dies post Davidis cubati-
 onem cum Patribus suis, post ipsum Davidem promit-
 titur excitandum Semen ejus: non igitur de nascendo ante Da-
 vidis mortem Semine, sed de nascendo post fata Davidis, hic
 Sermo est. Salomon vero quamvis circa hujus Oraculi tem-
 pus in lucem editus non esset, nihilominus vivo adhuc Davide
 non minus in vitam, quam in regnum introiit. Quod vero
 hinc usque ad natum Salomonem intercessit temporis spatium,
 expeditionibus bellicis est impensum, quibus Philistæi, Jdu-
 mæi, Amalekitæ, Moabitæ Ammonitæ & Syri domiti sunt
 II. Sam. VIII. & X. I. Chron. XVIII. & XIX. & Israeletici im-
 perii termini non solum à Schichore Ægypti usq; ad Hama-
 tham I. Chron. XIV. 5. sed etiam inde usque ad Euphratem,
 Syriæ Zobææ limitem propagati II. Sam. VIII. 3. qui extremi
 erant terræ, Semini Abraham à DEO promissæ, termini Gen.
 XV. 18. Deut. XI. 24. Jos. I. 3. 4. & à solo Davide & filio ejus
 Salomone I. Reg. IV. 21. 24. 2. II. Chron. IX. 28. possessi. Quæ
 bellorum post tempora denuo vertente anno, quo tempore Re-
 ges ad bellandum prodeunt, Joab Rabbam Ammonitarum
 B metropolin

B

metropolin